



**Guilielmi Rodingi Hassi, Contra impias scholas Iesuitarum, et  
eos qui suos pueros ipsis informandos committunt, ad  
Christianos homines oratio.**

<https://hdl.handle.net/1874/427267>

96

G V I L I E L M I  
 R O D I N G I H A S -  
 S I, C O N T R A I M P I A S S C H O -  
 L A S I E S V I T A R V M, E T E O S Q V I  
 suos pueros ipsis informandos committunt,  
 ad Christianos homines  
 Oratio.

*Raptori si nemo lupo commiserit agnum,  
 Huic pueros res est credere stulta gregi.  
 Erudiat ne alios tetriv erroribus ipse  
 Imbutus? didicit qui nihil, an doceat?*



HEIDELBERGAE,  
 APVD IOANNEM MAIER  
 Anno M. D. LXXV.

G. V. L. E. L. M. A.

R. O. D. I. N. G. I. H. A. S.

O. N. T. A. R. I. O. N. I. A. S.

I. N. T. E. R. P. R. E. T. A. T. I. O. N. E.

ET ALIIS REBUS

ET ALIIS REBUS

ET ALIIS REBUS

ET ALIIS REBUS

ET ALIIS REBUS

ET ALIIS REBUS

ET ALIIS REBUS

H. I. D. E. R. G. A. E.

S. E. C. U. N. D. U. M. M. I. N. I. S. T. R. A. T. U. M.

A. M. D. C. C. X. V.

# ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D.

FRIDERICO, PALATINO RHENI,

ac Sacri Imperij Romani Electori, Duci Bauariæ,

&c. Domino suo clementissimo,

Guilielmus Rodingus,

S. D.



**S**I REQUIRAS, ELECTOR IM-  
perij Romani Illustrissime, & princeps Christiane,  
quamobrem hanc orationē contra Iesuitarum Scho-  
las in lucem ediderim: hanc porissimum causam adse-  
ro, quod per multos hodierno die, qui vel in Christianis numerari vo-  
lunt, in tantam (proh dolor) insaniam & impietatem delapsos esse  
animaduertam, vt filios suos Iesuitis in disciplinam tradere, & re-  
gnum Satanae amplificare, minimè vereantur: quasi verò luci cum  
tenebris vlla aliqua ratione commercium esse possit, quasi verò non  
singulari Dei Optimi Maximi gratia atque fauore per vniuersum  
ferè Christiani imperij orbem Scholæ aperta sint, omni literarum  
& vera pietatis genere florentissima, quibus suos filios tuto com-  
mittere queant. Isti igitur hominum generi saniozem ac meliozem  
mentem, tantaq; temeritatis & impietatis veniam à Deo depre-  
cor. Tuæ verò pietatis diuina, Elector Illustrissime, & clemen-  
tia tuæ singularis fuerit, veniam mihi dare, si fortassis Tuam Cel-  
situdinē importunius adeam, & illi non admirandum aliquod, aut  
nouum libri genus sed contra improbos & vanos Sophistas oratio-  
nem offeram. Etenim vt ille ait:

Offendunt nunquam thura precesq; Iouem.

EPISTOLA.

Malle igitur animi virtute esto, Princeps Illustrissime, & illustrius aliquando in Tuam Celsitudinē observantiae specimen, si vita suppedicabit, à Musis nostris expecta: licerarum inquam, sed cum primis diuinarum studio flagrare, ut cœpisti, nunquam desine: sic Ecclesia Dei sub te florebit, florebit Republica, florebit Aula tua, florebit denique tui (ut cum Poëta loquar)

Nati natorum, & qui nascentur ab illis.  
Vale Princeps Principum clementissime.

Heidelbergæ e Padagio Franciscano.

Calend. Junij, 1578.

I  
GVILIELMI RODINGI

CONTRA IESUITARVM

*Scholas, ad Christianos homines*

ORATIO.



I QVIS VESTRVM FORTASSE  
miratur, Christiani homines, quid sit, quòd  
cùm multi hactenus Viri ingenio atq; erudi-  
tione præstantes, hostes illos gloriae Dei in-  
fensissimos, & Christianæ Reipublicæ vexatores nefa-  
rios Iesuitas, voce & scriptis insectati sint, ego qui inge-  
nio ferè nullus sum, & in dicendi exercitatione parum  
versatus, oratione publica Iesuitarum Scholas aggre-  
diar. Is si cogitauerit, nihil esse Dei gloria in orbe terra-  
rum maius, ad eamq; omni tēpore illustrandam ac vin-  
dicandam, omnes homines esse conditos: si cogitaue-  
rit, nihil esse Christiana religione sanctius, nihil anti-  
quius, nihil veriùs, nihil sublimius, nihil homini ad æ-  
ternam salutem consequendam vtilius, ad eamq; pro-  
pugnandum, & ab impijs hominum erroribus conser-  
uandum, huius vitæ vsuram omnibus Christianis con-  
cedi, non solùm temeritati meæ (si temeritas dicenda  
est) veniam dabit, verum etiã id quòd facio, probabit.  
Inter omnes enim Dei & Ecclesiæ aduersarios, & Chri-  
stianæ atq; æternæ veritatis oppugnatores, omnium a-  
cerbissimi & perniciosissimi sunt Iesuitæ: & crescit in  
dies singulos magis magisq; Furiarum illarum nume-  
rus. Latius opinione intra annos paucos illud malum  
disseminatum est. Manauit non solùm per impias Papi-  
narum vrbes, verum etiam sub informandæ iuuentutis

prætextu obscure serpens, multas iam Christianorum ciuitates occupauit. Cùm itaq; cum hominibus perditissimis mihi bellum susceptū esse videam, tu IEHOVA in cœlis optime & maxime, qui mihi huius orationis in diuinæ maiestatis tuæ honorem, & Christianæ Reipub. salutem suscipiendæ volūtatē dedisti, idem pro tua benignitate dicendi facultatē præstato. Quanta Iesuitarum manus est, quam permagnam esse video, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse scio. Sed tu IEHOVA, si mihi auxilio tuo adfueris, turbam istam Iesuitarum, turpem, infirmam, contemptam & abiectam iudicabo. Vos verò Christiani omnes ac singulos obsecro atq; obtestor, vt, quæ Christianos decet, humanitate, & quam huius negotij religio requirit, animi æquitate, me audiat. Quod si me à vobis impetrare sentiam: perficiam profectò, vt pueros Iesuitis in disciplinam non modò non tradendos esse credatis, verumetiam illos, nisi in viam redeant, è Christianorū vrbibus, tanquam homines scelerosos atq; nefarios, exterminandos esse iudicetis.

Adesdum igitur Iesuita, & accusationis nostræ capita attendito. Primùm originem tuam inuestigabo, eiq; nomen quod impiè tibi affingis, planè repugnare docebo: pòst quantus quantus es, totum te ab imis vnguibus, vsq; ad verticem summum, impietate, fraude, fallacijs, mendacijs constare, os tuū improbum nil nisi blasphemias eructare, & ne pilum quidem te boni præceptoris atque doctoris habere, apertè demonstrabotum ad eos, qui suos liberos tuis Scholis, literis & moribus informandos committunt, perorabo. Sed ignoscere mihi Iesuita, si præternaturā meam non nihil acerbius

bius & vehemētius in te inuectus fuero: ad istam enim orationis meae vehemētiā, causā Iesu Christi, quam ago, me commouet, & miseria adolescentulorum, qui tuis Scholis traduntur, me concitat. Qui igitur parentes, (vt te ab incunabulis Iesuita aspiciamus) quā terra aut regio te tam funestam, tam tetram, tam horrendā, tamq̄; infestam Christianæ Ecclesiæ bestiam procreauerit, si quis requirat, dicam equidem intrepidè. Cū olim Satanas pro singulari sua calliditate animaduertet, regnum Dei & diuinæ maiestatis gloriam indies magis magisq̄; literatorum hominum vigilijs, opera, labore, ac studio amplificari: tartarei verò imperij vires ac copias, per inutilia illa terræ pondera, & fucos ignauos, & ad consumendas fruges natos minui & labefactari, dies noctesq̄; de audaciā atq; impietatis suæ ad ministro atq; satellite cogitauit. Excitauit igitur Ioannem Petrum Carapham, Romanum Pontificem, ne dicam Christianorum carnificem, Paulum quartum appellatum, ex quo vt constans fama est, tanquam ex matre procreauit Iesuitam,

*Monstrum horrendum ingens, cui quot sunt corpore crines,*

*Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu,)*

*Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures,*

ad Ecclesiæ Christianæ perniciem circumspectandam, ad euomenda in Saluatorem Iesum conuicia, ad exaudiendas Satanae in Deum blasphemias: Licet enim mihi sic Virgiliano illo colore, foetum istum omni immanitate atque diritate teterrimum saltem adumbrare. Sed quemadmodum Satanas patrē tanta prole dignissimum & impietatis suæ socium & adiutorem sibi comparauit: sic & locum excludendo suo foetui monstroso

aptissimi.



aptissimū delegit. Nemo vestrū est, Christiani, quā  
audiuerit, Venetias, urbem pulcherrimā, florentissimā,  
diuitijs abundantissimam, & copijs potentissimā exi-  
stimari, & hodie orbis terrarum miraculum appellari:  
in huius vtero ac sinu, monstrū & prodigium illud post  
homines natos teterrimum, cōceptum est, inchoatū,  
conformatum, procreatum & educatum: hinc, inquā,  
cœpit Iesuitarum sōboles in Italiam, Hispaniam, Gal-  
liam, Germaniā, & reliquas nationes ferè omnes propa-  
gari. O Satanæ astutiam admirandā, ô calliditatē ex-  
crandam. Longo vsu & experientia edoctus, nouit, im-  
pios potētia, diuitijs, locorū celebritate, rerū splendo-  
re, & magnorum hominū authoritate, facilius ad qua-  
uis scelera & flagitiorum genera impelli. Sed quō di-  
rum illud malum latiùs propagaretur, Satanus per Ca-  
rapham architectū Furijs istis stabulum extruxit, & in  
illud redigi & cogi iussit, quotquot inuenirentur fortu-  
na miseri & afflicti, ingenio callidi & versuti, volunta-  
te perditī, & religione impij. Et quemadmodum Iulia-  
nus apostata, cū Christianam religionem delere co-  
gitaret, literarum Scholas dissipauit: sic Carapha quō  
prolem suam atque venenum latiùs propagaret, ex Ie-  
suitarum choro ludos literarum aperuit, ad quos ex lo-  
cis varijs adulescentes confluerent, qui tantā impieta-  
tis scelerisq; societatem colerent, quos, inquā, singu-  
lari inter se consensu & amore impurissima naturæ, &  
turpissima impietatis similitudo deuinciret. Vnde de-  
nique tanquam ex equo Troiano infinitialij descen-  
derent, qui orbem Christianū doctrinæ impietate infi-  
cerent, & facem ad errores & insaniam alijs præferrent.  
Sed quo nomine sanctus ille & venerandus ordo, appel-  
latus

Iatus est? non est in caelo aut in terra nomen maius aut  
 illustrius, quàm sanctissimum illud Iesu Saluatoris no-  
 stri nomen: Iesu enim nominis IEHOVA noster in  
 caelis author est, Iesu nomen angelus è caelo attulit, Ie-  
 su nomine omnes Christiani in aeternum conseruan-  
 tur, Iesu nomen exauditum, omnes pij genuum flexio-  
 ne & sancta recordatione venerantur, Iesu nomine be-  
 nedicuntur, quaecunque in caelo, terra, aut mari conti-  
 nentur. Denique si tanti nominis maiestatem pro digni-  
 tate persequi velim, tempus prius quàm oratio, me de-  
 ficeret. Ne igitur Satanæ & meretricis Romanae spurius  
 agnosceretur, nomen quod in Ecclesia nullum est, id  
 propter diuinam suam pietatem nouum induxit, & à  
 sanctissimo Iesu nomine, Iesuitam se appellari voluit:  
 ô scelus, ô portentum in vltimas terras exportandum.  
 Quid est in sanctissimū Iesu nomen contumelia, si hæc  
 non est? Quid est sanctissimo & salutari Dei nomine ad  
 vanitatem & perniciem abuti, si hoc non est? Respice  
 aliquando Iesuita, quibus ortus sis, sic originem & do-  
 ctrinam tuam nomini tuo, quod ad singularem impie-  
 tatem tuam obscurandam & tegendam ab aeterno illo  
 Iesu traduxisti, magis quàm nigrū albo repugnare aper-  
 tē perspicies. P A P A Romanus summus Iesu aduersa-  
 rius tibi pater fuit, I M P I E T A S mater, obstetrix  
 I N S A N I A, morum & doctrinae informator S A-  
 T A N A S: qua ratione ergo Iesuita seu discipulus Ie-  
 su nominaberis? Veniam igitur mihi Deus dabis, quòd  
 tam dirum animal nomine tuo sanctissimo hactenus  
 appellauerim: quoniam enim nō sine diuini tui nomi-  
 nis contumelia tanta monstra Iesuitas appellare pos-  
 sum: Suitas in posterum appellabo. Quemadmodum  
 B chim

enim sus in stercore se volutat, suoq; rostro lutulento omnia contaminat: ita bestia ista impurissima ac intemperatissima in impietatis cœnum se ingurgitant, suoq; ore impurissimo sanctissima quæque polluunt. Quid de simplicitate & habitu Furiarum dicam? quod si ora Suitarum, incessum, habitum & vultū, totius denique corporis gestus ac conformationes intueris, irares nihil istis hominibus (si homines dicendi sunt, qui Christo hominibusq; Christianis perpetuum bellum indixerunt) esse sanctius, nihil modestius, nihil humanius, nihil castius, nihil simplicius. At quàm eruditus est Suita artificio simulationis ac dissimulationis, quàm infuscatus, quàm fallax, quàm fucatus, quàm dissimulanter peruersus ac maleuolus.

Narrat Plinius Chamæleontem circa Phasin nasci, & in India, solumq; animantium nec cibo nec potu pasci, nec vlllo alio quàm aëris alimento, & coloris natura esse mutabiliorem: mutat namque eum subinde, & oculis, & cauda, & toto corpore, redditq; semper, quemcunq; proximè attingit, præter rubrum, candidumq;.

Atqui vt Chamæleon colorem, sic Suita vultum ac animum subinde variare potest. Singulari quodam integumēti genere, quod instar rhombi est, monstruosum & nequissimum caput innouit, & vestem à cervice ad imos vsque pedes dependentem gestat, vt alios homines vitæ & habitus sanctimonia superare videatur. Quod si verò nudandi Suitam, & animi qui sub ista simplicitate latirat, intuedi facultas daretur: Proh Dei atque hominum fidem, quanta appareret foeditas, quanta immanitas, quanta crudelitas, quanta impietas. Nul-  
lum monumentū clarius, Carapha, relinquere potuif-  
ses,

ses, quàm effigiem morum tuorum, impietatis & calliditatis filium Suitam. At, Carapha, qui tam diræ societatis princeps & author es, tantâq; fraudis & impietatis machinator:

*--- Pro scelere & pro talibus ausis,  
Dij (si qua est Cælo pietas qua talia curet)  
Perfolyant grates dignas.---*

Itaq; Christiani, ut quod res est dicam, dum genus hominum & Christiani populi nomen extitit, nulli fuerunt tam impij, nulli tam furiosi, nulli tam Deo hominibusq; hostes, quàm nefarij Suitæ. Fuerunt equidẽ qui Deum esse negarent: fuerunt qui vtrum Deus esset, impiè dubitarent: fuerunt qui deos multos esse cõtenderent: fuerunt qui boues, serpentes, crocodilos, anseres, varia auium, piscium, ferarum, aliorumq; animalium genera, tanquam Deos colerent: fuerunt qui Aesculapium, Martem, Mercurium, Bacchum, Lupam, Leånã, Faulam, Floram, Fornacem, Mutam, homines illos mortuos, impuros, obscænos, adulteros, meretrices, & omni vitiorũ genere insignes, in deorũ numerum referret: Et si oēs impiorũ hominũ ordines enumerare velim:

*Icari e numerum dicere coner aqua.*

Sed illos oēs audacia, scelere, impietate, insania, furore & crudelitate Suitæ longè superat. Illi enim aperti Dei hostes fuerunt, & propterea minùs nocere potuerunt: hi verò cuniculis Dei gloriam & Christianam religionẽ atque salutem oppugnant, & quantò sunt illis obscuriores, tantò sunt perniciosiores: Illi ferè homines barbari, palàm impij, atque illiterati fuerunt: hi verò omni literarum genere (ut sibi videntur) instructi, & singulari aliqua pietate præditi, tanquam lupi sub quili veste

veniunt, & sic facilius quod animo intendunt, perficiunt, id est, fraudem, & interitum, & mortem æternam incautis hominibus machinantur.

Suitarum originem & nomen, Christiani audiuitis: sed ut apertius fraus hominū detegatur: accipite nunc quæso diligenter, quæ de pietate illorum dicam, & ea penitus animis vestris mentibusq; mandate. Quid est in te, Suita, præter impietatem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his tot conglutinatus es, nihil apparet in te pium, nihil Christianum, nihil ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Quid impietatis aut blasphemiarum in Deum fingi aut cogitari potest, quod tu iuuentutis corruptor non conceperis? Sumamus enim in manus præclaras illas tuas Christianæ pietatis institutiones, & qualem nobis Christianū puerū informes, perpendamus. Breuiter præcipua tantum capita perstringam. Nullius enim est tantum flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaque copia, quæ non dicam, tuam impietatem pro atrocitate rei deplorare, sed tantum enarrare queat: in ipso statim Christianæ tuæ institutionis vestibulo, impietatis ædificandæ fundamentum collocas. Fides, in quis, donum Dei ac lumē est, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, siue scripta illa sint, siue non sint. O fundamentum valde debile & infirmum, imò corruptum, putrefactum, in qua nulla solida & expressa, sed caduca & momentanea doctrina æternæ atque beatæ vitæ fundatur. Fidem nihil aliud arbitraris esse Suita, quam nosse ea, & firmiter assentiri illis, quæ in sacra scriptura traduntur. Quod si igitur tu illa fide æternam

nam salutem consequeris, & omnes Diaboli eam tecum consequentur. Nam & illi norunt & credunt ea, quæ in oraculis illis Dei traduntur. Vera Christianorum fides nihil est aliud, quam Spiritus sancti testimoniū, quod in imis animi & cordis visceribus electis perhibetur, ut sciant, quantis à Patre coelesti in Christo donis sint cumulati, quod Spiritus sancti testimoniū veteri isti Adamo mortem adfert, nouumq; planè hominè creat. Hac Christianæ fidei veritas est, Suita, quæ à te ignoratur. Quod si omnia, quæ ad æternā salutem consequendam necessaria sunt, prophetarum, ipsius Christi & Apostolorum monumentis posteritati Christianæ perscripta & relicta sunt, cur quæ non sunt scripta, credenda imperas? An nō intelligis infinita Papæ, tui Patris, somnia, deliramēta, leges, cæremōnias, pompas, superstitiones & nugas aniles? Sic opinor. In ipso igitur institutionis suæ fundamento, asini isti Cumanī planè suas aurículas produunt. Quid verò, Suita profligate & perditæ, de ficto tuo purgatorio (ut appellas) dicam? De illo quidem somnia tuā sunt eiusmodi, ut à vetula aliqua delirāte somnianda potius, quàm à pietatis magistro atque doctore in præceptis piè & Christianè viuendi ponenda esse videātur. Christianæ Ecclesiæ mēbra esse, ait Suita in explicatione sua Symboli, omnes illos, qui carnis mortalitate exuti, vel regnant in cœlo, vel illic regnaturi in igne purgatorio peccatorum sordibus expiantur, qui quidē veluti vnus corporis membra, se inuicē amicitijs iuuant, officijs, meritis, orationibus, & sacrosancti Missæ sacrificij virtute. O hominè nequam (quid enim aliud dicam?) magis propriè nihil possum dicere) tibi Suita

*Domine Feruet auaritia miseraq; cupidine pectus.*

Tu quoniam, tanquam mercator impius, omnia regni celestis beneficia, iura & commoda habes vernalia Purgatorium illud, quod in rerum natura nullum est, nec unquam esse potest, ingenij tui calliditate & astutia diabolica, ædificas. Quod si Purgatorium illud tuum tam defunctorum animas peccatis purgaret, quam sectatorum tuorum crumenas nummis purgare solet, tuis nugis & somnijs aliquid daremus. Quid verò est auaritia cum in omnibus hominibus, tum verò in pietatis doctore, qualem te prædicari cupis, turpius? quid scædus? Quid Christi æternæ veritatis vocem isti de Purgatorio fabulæ opponâ? Amen amen dico vobis (en iureiurando Suita contra te Iesus affirmat) qui sermonem meum audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transiuit à morte in vitam. Quid Christianos authores, id est veraces, sanctos & religiosos Patres, contra mendacium istud proferam, atque in primis Theologorum principem Augustinum? Primum, inquit, fides Christianorum diuina auctoritate regnum esse credit cœlorum: Secundum, Gehennam, vbi omnis Apostata vel à fide Christi alienus supplicia experitur: Tertium penitus ignoramus, nec esse in Scripturis sanctis reperimus. Quid Christi & Augustini auctoritate debilitatus & abiectus, & conscientia tua cõuictus Suita, repentè cõtices? Sed attendite, quæso, verba, quibus tetra & pestifera ista bellua, sanctissimam virginem Mariam salutatur atq; veneratur: Ave Maria gratia plena, inquit, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui tui, Iesus. Sancta Maria mater Dei ora pro nobis. Incredibile non solum impieta-

impietatem, sed etiam stultitiam Suitarū videte. Quòd  
 si, Suita, sanctissimū illud & castissimū virginū decus  
 Maria à mortuis excitaretur, vt multi excitati sunt, im-  
 pietatis non solū, verum etiam amentiae, ita me Deus  
 amet, te conuinceret, & sic omnium sanctorum nomi-  
 ne tecum ageret & loqueretur. Eheu fili perditionis &  
 irae Suita, attende paulisper, cogitationemq; pij homi-  
 nis ad punctum temporis suscipe: desine me salutare,  
 & salutando venerari: desine sanctos & vita defunctos  
 adorare: istam tuam salutationē tuasq; preces execra-  
 mur: tu vbi terrarum sis, quid agas, viuas deniq; an mor-  
 tuus sis, neq; scimus neq; curamus, tantum adest, vt te  
 precantem exaudiamus. Reuoca animum tuum, o ho-  
 mo vitæ nostræ ignare, & veræ pietatis expers ab ista im-  
 pietate & amētia. Vnus Christus Iesus est, vnus omniū  
 hominum Saluator, vnus inter Deum & homines me-  
 diator, vnus pro peccatoribus apud Deum patrem de-  
 precator Christus Iesus. Annon illum summo honore  
 spoliās? Annon ex altissima dignitatis & gloriæ sede,  
 in qua à Deo patre collocatus est, deturbas, dum me il-  
 li tanquam salutis tuæ sociam & auxiliatricem adiun-  
 gis, aliosq; sanctos tanquā eiusdem muneris collegas  
 substituis? an te ista ratione nos venerari arbitraris, cū  
 nulla vnquam maiori contumelia afficere nos possis?  
 an ego te peccatis tuis liberare & purgare potero, quæ  
 ipsa in peccatorum sordibus concepta, & in mundum  
 nata sum? Ego quidem benedicta & digna iudicata fui,  
 quæ Iesum illum æternum Dei, æterni Patris Filium in  
 mundum procrearem, Iesu tamen dilectissimi mei filij  
 honorem, qui ipsi soli tanquam Deo & homini, & hu-  
 manæ salutis auctori debetur, nunquam mihi vendi-  
 caui.



caui. Per Deum igitur immortalem obsecro atque ob-  
 testor, istam impietate deponite, & deprecationis meę  
 obliti, de vno deprecatore Iesü Christo, meo filio, cogi-  
 tate. Sed quid ego, Christiani, ita sanctissimam Virginẽ  
 cum immani & pestifera bellua loquentem induxi?  
 Quid verò de Maria & sanctis hominibus dico, cum  
 Suitæ ligna & lapides adorare, & Dei loco colere aude-  
 ant? Proh Deum immortalem, incredibilem stupidita-  
 tem Suitarũ cognoscite. Ego sum Dominus Deus tuus  
 (vox illa diuinæ maiestatis è cœlo clamat) qui eduxi te  
 ex Aegypto, domo seruitutis. Non habebis Deos alie-  
 nos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec vl-  
 lam imaginem effinges eorum, quæ aut suprâ sunt in  
 cœlo, aut infrâ in terra, neq; incuruabis te illis, neq; co-  
 les ea. Hoc æternæ & diuinæ maiestatis mandatũ quo  
 modo Suitæ interpretentur, & inexpiabili scelere pol-  
 luere conentur, attendite. Non facies tibi sculptile (in-  
 quiunt) vt adores illud, videlicet Ethnicorum more, qui  
 falsorum deorum statuunt simulachra, & idola sua im-  
 piẽ colunt. Nos autẽ imaginibus Christum & sanctos,  
 quos representant, pio à maioribus tradito more vene-  
 ramur. O incredibilem Suitarum audaciam: ò impu-  
 dentiam prædicandam: ò Suitas ad errores & impieta-  
 tem natos. Erit, erit aliquando tempus illud, Suita, illu-  
 cescet aliquando, mihi crede, dies ille, cum te per ima-  
 gines istas Deum potius contumelia, quàm honore af-  
 fecisse senties. Non facies tibi simulachra, vox diuinæ è  
 cœlo clamat: tu verò, Suita, non facis solum simula-  
 chra, verum etiam per illa te Christum venerari impiẽ  
 & nefariẽ gloriaris. Quòd si huius mundi aliquis Im-  
 perator aut Princeps tibi tanquam subdito impera-  
 ret, vt

ret, vt se solum venereris & honorares. Tu verò Imperatoris aut principis loco truncos & stipites venereris, an non esses in magistratū impius, & omnibus supplicijs afficiendus? Iam vero, Sūta, quā ratione non huius mundi imperatorem, sed æternum illum coeli, terrę marisq; creatorem, per ligna & lapides impunè veneraberis? Non solum impium te, sed & furiosum & mente captum esse perspicio. Quid enim aliud est furere, nisi summi & diuini numinis loco, ligna ac lapides colere atque venerari? Credo, Sūta, tuam fraudem, tuum facinus, tuum scelus, tuam audaciam ita de mente ac sanitate te deturbasse, vt veritatem nunquam agnoscere, nedum profiteri queas. Quomodo enim veritatē agnoscere potestis, qui Deum irridet, contemnit, repudiat, & de medio rerum tollere conatur: qui tamen solus hominibus veritatem largiri & inspirare potest? Sed reliquam Sūitarum pietatem in Ecclesia præceptis & mandatis videamus.

Statutos Ecclesię festos dies celebrato.

Sacrum Missæ officiū diebus festis reuerēter audito.

Indicta cæteris diebus ieiunia & à quibusdam cibis abstinentiam obseruato.

Peccata sacerdoti proprio, aut alteri cum eius facultate, singulis annis confitetur.

Sacrofanctam Eucharistiam vt minimū semel in anno, idq; circa festum Paschæ, sumito.

His præceptis ac mandatis obseruatis (inquiunt) nō solum fidem, humilitatem, & reliquas virtutes Christianas exerceri, & honestam disciplinam, & publicā tranquillitatem ali & conseruari, verum etiam nos vitæ & æternæ salutis præmia mereri. Annon hæc Romani Pa

pæ somnia & deliramenta sunt? Hæc ne vestra discipli-  
na est, Suitæ? Sicne adoleſcentes inſtituitis? O præcla-  
ros præceptores, & egregios pietatis doctores. O præ-  
clarum custodem ouium (vt aiunt) lupum. Nos Chri-  
ſtiani, Suitæ, dies feſtos Dei & Eccleſiæ auctoritate con-  
ſtitutos celebramus, ſed inanè illam veſtræ Miſſæ Pom-  
pam toto corde execramur. Miſſam enim eſſe dicitis  
genus quoddam ſacrificij & oblationis pro peccatis mor-  
tuorum. Sed mentiris, mentiris, Doctör improbiffime.  
An non enim Ieſus gratiffimam Deo patri hoſtiam ſe-  
mel pro peccatis hominum ſe obtulit? An non illa ob-  
latio Chriſti fuit perfectiffima, nec tua illa abominan-  
da opus habet? In ſacrarum literarum penetralibus mi-  
nimè tibi cæcutire videris: vbi igitur, obſecro, in tota  
lege diuina, qua ramen pleniffimè omnia ſacrificiorum  
& oblationum genera ſunt adamuſſim deſcripta & im-  
perata, vlla mentio fit ſacrificij tui pro peccatis mor-  
tuorum. Percurre omnes de ſacrificijs Dei ipſius & Pro-  
phetarum monumenta & leges: nuſquam ſanè vox ti-  
bi occurret vlla, quã vel quoquo modo ad tuum illud  
ſacrificium pro mortuis ſignificandũ detorque-  
re queas: nuſquam tibi vllum ſacrarum literarum reſtimoniũ  
apparebit, quo tantam impietatem confirmare aut ex-  
cuſare queas.

--- Quid non moralia pectora cogis? ---

Auri ſacra fames? ---

Miſſa enim veſtra magnum vobis veſtigal eſt, & queſtũ  
ex illa facitis ſordiffimũ. Num mentior Suitæ? Quam  
milerum eſt id negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum  
conſiteri. Prætereo iam inſinitos ceremoniarum mo-  
dos, quos partim excogitaſtis ipſi, partim a Iudaïs, pa-  
ganis,

ganis, imò à veneficis ad Ecclesiam, transfulistis. Ad ieiunia quod attinet, Suita, si carnem nostram effrenata & lasciuientem fame coëreant, si nos ad precandum præparent, si ad bene beateque viuendum nobis calcem addant, Christiane professionis hominibus dignissima esse iudicamus. Quis verò vestra ieiunia nō rideret, que si vnius anni spacium durarent, nō in hercule vniverſi Oceani pisces ventri vestro, effarciendo & saturando, non, in quā, totius Rheni vina gula vestra eluendæ sufficerent! Non credo Affluenti regem in tantis delitijs vixisse, in quantis vos, dum ieiunatis, viuitis. Sic igitur, Suita,

*Tu Curios simulas, et Bacchanalia viuis.*

Quid verò susurratoriam illam confessionem hominibus imperatis? Sunt equidem nōnulla confessionis genera ad conseruandam Christianam disciplinam, & afflictos homines confirmandos non solùm vtilia, verū etiam maximè necessaria: vt si quis domi suæ vel foris animi sui penetralia coram Deo aperiat, & peccatorū veniam deprecetur: vel si quis piā vero Dei zelo inflammatus, palàm sese peccatorem prodat, (vbi tamen temeritas & superstitio absit) & Dei misericordiam efflagitet: vel si quis propter scelus aliquod admissum, Dei ciuitate exterminatus, palàm coram populo Christiano peccatum confiteatur, & publico offendiculo, cui occasionem præbuit, medeatur, & ita Dei ciuitate rursum donetur: vel si quis fratrem suum aut proximum offendisset, culpam agnoscat, & veniā sibi dari cupiat: vel si quis conscientia furij agitato & perterrefactus, cum fratre suo aut pio aliquo Ecclesie doctore malum suum, quo affligitur, communicet, cuius solatio recre-

tur & reficiatur, & cuius precibus coram Deo iuuetur. Hæc confessionum genera nos Christiani homines approbamus, laudamus, commedamus, obseruamus. Sed vestram illam auricularem confessionem (quam vocatis) de omnium & singulorū peccatorum enumeratione repudiamus, & damnamus: Vos enim ad peccatorū veniam & condonationem illam valere arbitramini, cum tamen nemo hominum omnia sua peccata enumerare queat.

Postremum mandatū est de sacra Cœna, minimum semel in anno & circa festum Paschæ sumenda. Miror, Suita, Christine an Satanae auctoritate certum illud cœnæ sacrosanctæ tēpus constituas & præscribas? Si enim sacrosanctum illud Sacramentum ad infirmam hominum fidem augendum & confirmandum institutum est, si de salute æterna nos certiores reddit: cur, sacrilege, semel in anno vtendum illo esse impie & nefarie imperas? An nō quotidie ferē infirmus ac debilis ille homo fidei suæ fulcro & confirmatione opus habet? Si, inquam, sacrosanctum illud Sacramentum in recordatione mortis & beneficiorum Iesu Christi consecratum est: semel tantum in anno, si tu olli impio mandato dicto audientes fuerimus, beneficiorum Christi recordabimur. Cur toties Missam tuam celebras, in qua tamen corpus & sanguinem Domini te communiate gloriaris? O ingenium omnis impietatis fertilissimum.

Sed ad Sacramenta Suitarū veniamus. Si Sacramenta sunt signa, vt nunquam inficias ire possunt, quibus peccatorum venia & condonatio gratuita nobis promittitur, quibus in Christo sanctificamur, quibus deniq; nostrā tanquā membrorū cum Christo capite coalitio.

litio sancitur, & obsignatur: quo iure, Suita, confirmacionē tuam, quo iure pœnitentiam, quo iure extremā vnctiōnem, quo iure Matrimonium in Sacramētis numerabis? Si, inquam, matrimonium Sacramentum est, qua ratione tibi gratuitam peccatorū veniam promittet? qua ratione te sanctificabit? qua ratione tuam cum Christo obsignabit coalitionem, quā illud repudias?

Aut igitur matrimonium Sacramentum nō est, aut non omnium vis est eadem: Sed sanctus ille & castus Suitarum **ORDO**, vel absque matrimonio sanctissimus & castissimus sibi videtur.

Qualis igitur erat Phormio in re militari: talem te in Christiana religione doctorem animaduertimus. Phormio enim, vt Catullus apud Ciceronem ait, cum Hannibal Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum venisset exul, proq; eo, quod eius nomen magna erat apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, vt eum, quem dixi, si vellet, audiret: cumq; is se nolē dixisset, locutus esse homo dicitur copiosus aliquot horas, de Imperatoris officio & de omni re militari: tū cum cæteri qui illum audierant, vehementer essent delectati, quærebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo Philosopho iudicaret: hic Pœnus non optimē græcē, sed tamen liberē respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse: sed qui magis quàm Phormio deliraret, vidisse neminem: Neque mehercule iniuria: quid enim arrogantiū, aut loquaciū fieri potuit, quàm Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquā castra, nunquam denique minimā partem vllius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare? Hæc Catullus. Sic Phormiones quidam Suitæ fuerint, qui mul-

ta de Christiana religione præcipiunt, blaterant, & in ea adolescentes instituere conantur, quam tamen ipsi nunquam agnouerunt, & in qua tanquam noctuæ ad solem caligant. Quid de medicina Suitarū dicam? Parmeno ille Terentianus ait:

— *Fac periculum in literis*

*Fac in palestra, fac in musicis, quæ liberum*

*Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.*

Sic vos Christiani, facite periculum in Philosophia, facite in Theologia, facite in Medicina, quæ Sophistā impium & fallacem hominem scire æquum est, solertem Suitam dabo. Olim cū Apostoli ægrotos non vt medici, sed vt Apostoli ex Saluatoris sui Iesu virtute & facultate diuinitus concessa, ægrotos pristinae valetudini restituerent, oleo tanquam Symbolo utebantur. En igitur callidi Suitæ oleum aliquod sacrosanctum excogitarunt, quod millies adorant, & magicis ferè cæmonijs sanctificant, & ad ægrotos iam iam è mundo exituros deferunt, non vt illos ad recuperandam valetudinē & beatam vitam vngant, sed vt nummis emungant. O homines nequissimos, & sui semper quæstus & lucri in rebus sacris memores. Ad cloacas, Suita, rostro tuo lutulento purgandas, quàm ad ægrotos vngendos, esses aptior. Sed agedum ex Suitarum oleo & luto tandem emergamus, & ne ex multis erroribus teterrimū ac foedissimum nostra transiliat oratio, ad profanam Suitarum cœnam, & impiū conuiuium veniamus.

Panis & vinum, inquiunt, in corpus & sanguinem Christi conuertitur, & panis & vinum esse desinunt: & propterea Sacramento illi adoratio debetur, quæ Christo Domino æterno debetur.

Quem

Quem vnquam in terris errorē tantū extitisse au-  
 ditum est? tantam impietatem? tantam blasphemiam?  
 Tantus te stupor oppressit, Suita, vel vt verius dicam,  
 tantus furor, vt sine mente & sensu tantam impietatē  
 euomuisse videaris. O audaciam tuam immanem, qui  
 panis frustulo vniuersæ mundi machinæ creatorem in-  
 cludis, quem neque totius cœli amplitudo, neque to-  
 tius terræ magnitudo, neque totius maris altitudo ca-  
 pit. O impietatem execrandam, quæ pro cœli & terræ  
 creatore, creaturam adorat. O suam detestabilem & vo-  
 racissimam, quæ Deum deuorare conatur: hîc impietà-  
 te & blasphemia Ethnicos longè superas. Ecquē tam Libr. 3. de  
Nat. Deo.  
 amentem esse putas, ait Ethnicus ille. Orator, qui illud  
 quo vescatur, Deū esse credat? Iam nē vides, bellua, iam  
 nē sentis, in quæ præcipitia ferantur, qui ab æterna Dei  
 veritate aberrant? En à quo te denominari antè volui-  
 sti, & à quo in æternū cōseruari cupis, illum iam è rerū  
 natura tollere conaris. Quid est vas ignominiaē esse, Sui-  
 ta, si hoc nō est? quid est occæcatū esse, in reprobum sen-  
 sū traditum esse, obduratum esse, si hoc non est? Nos  
 Christiani Iesum Christum Saluatōrē nostrum esse cre-  
 dimus, qui verus & æternus Deus ab æterno fuit, & qui  
 verus homo in terris esse cœpit, & qui solus & vnus est  
 inter Deum & homines mediator: secūs qui crediderit  
 aut docuerit, is criminis læsæ maiestatis diuinæ accusa-  
 bitur, & tandem condemnabitur. Qua igitur ratione,  
 Suita, tu in extremo illo Dei iudicio consistes, qui non  
 solum non æternum illum Iesum Saluatorem tuum  
 agnouisti, dum illi alios substituiisti, dum tuis operibus  
 te cōseruatū iri credidisti, verum etiam illum è rerū  
 natura sustulisti? Nam si solius Dei proprium est inuisi-  
 bilem



bilem esse, immensum esse, infinitum esse: & si veri ho-  
 minis proprium est visibilem esse, quãtitate præditum  
 esse, & loco circumscriptum: Vbi quaso in rerũ natura  
 tuus ille medicator fuerit, quem verum quidem Deũ,  
 sed hominem infinitum, immensum & inuisibilem ef-  
 se affirmas? Noli in tãta impietate defendenda ad Chri-  
 sti omnipotentiam confugere: ea enim Dei voluntate,  
 non tuo iudicio, tibi metienda est. Quod si Deus volu-  
 isset, Filium suum hominẽ immensum & infinitũ na-  
 sci, sic natus esset: sed voluit illum verum esse homi-  
 nem: voluit igitur illum esse finitum & quãtitate præ-  
 ditum. Deinde annon plus omnipotentia Christi tri-  
 bueres, si illum secundum corpus & humanam naturã  
 in coelos ascendisse (vt in Symbolo apertè fateris) se-  
 cundum diuinam naturam verò locum non mutasse,  
 sed in cœlo & in terra, imò vbiq; esse crederes: quã si  
 illum secundum diuinam naturã esse, vbi non est cor-  
 pore, negares. Noli, Sũita, in tanta impietate defenden-  
 da ad gloriam Christi, in qua triumphat, & ad Dei pa-  
 tris dextram, ad quam collocatus est, confugere. Cũ  
 enim Christus cœnam institueret, & sanctissimo & ve-  
 rissimo suo ore affirmaret: Hoc est corpus meum, non-  
 dum caro ipsius cœlestis triumphĩ particeps erat, non-  
 dum ad dextram Dei sedebat, & tamen eadem erat cœ-  
 nã sacrosanctã dignitas, & eadem vtilitas quã hodie-  
 no adhuc die est. Haresiam, Doctor, seductor, inquam,  
 improbe, & vbi te expedias non habes. Attamen ne  
 nihil respondere posse videaris, nos panem & vinum in  
 sacra cœna inania signa constituere vociferaberis. Ni-  
 hil minùs, Sũita: panem enim & vinum tam verè nobis  
 corpus Christi & sanguinem Christi exhibere & cõmu-  
 nicare

nicare affirmamus & credimus, quàm verè Christus ipse dixit de pane: Accipite, hoc est corpus meum, & quàm verè dixit de poculo; Hoc est nouum fœdus per meum sanguinem. Sed non hinc consequitur panem in corpus Christi conuerti: imò ne impiam illam tuam & execrandam μεταμόρφωσιν aliqua ratione approbare videamur, corpus Christi in pane, cum pane, sub pane esse negamus: quia omnes Christiani illud negant, dum in suo Symbolo Christum in cœlos ascendisse, & in extremo illo mundi die inde reuersurum esse affirmant & credunt. Et longè differunt hæc enunciata: Panis in corpus Christi conuertitur: & Panis est corpus Christi. Si enim dicis, Panis in corpus Christi conuertitur, non solum improprie & cōtra sacrarum literarum consuetudinem, verumetiam impiè loqueris: quia sic Christi corpus in cœlis esse negas, quia vbique esse, id est, humanam naturam deposuisse statuis. Sin verò dicis, Panis est corpus Christi, piè loqueris & pprie: quia Christus ipse, Prophetæ & omnes Apostoli, de Sacramentis sic loqui consueuerunt. Quotiescunq;, ait Paulus, vel potius Spiritus sanctus ipse, comederitis panem hunc, aut de poculo illo biberitis, annuntiabitis mortem Domini, donec venerit. Arrige aures, Suita: Donec venerit, ait Spiritus sanctus. Illum igitur Christi aduentum aut de diuina natura eius, aut de humana seu corpore eius intelligas, necesse est. Si de diuina intelligis, impius es: utpote qui Christum Deum esse, id est, vbique esse & semper nobis adesse ignores. Si de humana natura seu de corpore Christi intelligis, impia tua sententia de corporali præsentia Christi in pane, aut (ut loqueris) de cōuersione panis in corpus Christi corrui. Si enim

D panis

panis in corpus Christi conuertitur, iam Dominus ad-  
 sit necesse est, nec venturus est, vt Spiritus sanctus testa-  
 tur. Sed hinc tibi videbitur naturarū in Christo distra-  
 ctio consequi, & alius Christus in cœlo collocari, alius  
 in terra, & vbiq;. Absit tanta à nobis impieras, vt per-  
 sonam Christi distrahamus, & duos Christos constitua-  
 mus. Quemadmodum enim si vnicam illam diuinam  
*ἑσῆς* in tres personas, nimirum Deum patrem, Deum  
 filium, Deum Spiritum sanctum distinguis, nulla fit  
*ἐν τῇ ἑσῆς* distractio, sed vnus & idem Deus manet: ita si  
 duas illas in vna Christi persona naturas distinguis, &  
 vtrique suam proprietatem attribuis, nulla fit personæ  
 Christi distractio. Totum Christum vbiq; esse credi-  
 mus, & vno ore confitemur: sed non secundum totum  
 (vt cum Augustino loquamur.) Nam vbiq; est se-  
 cundum naturam humanam seu corpus, ibi quoque  
 est secundum diuinam naturam: sed non contrà, vbi-  
 cunq; est secundum diuinam naturam, ibidem est e-  
 tiam secundum humanam naturam. Quatenus enim  
 Christus verus Deus est, eatenus in cœlo, in terra, & v-  
 bique est, hoc enim solius Dei proprium est: quatenus  
 autem verus etiam homo est, eatenus in cœlo est, vn-  
 de in conspectum nostrum die illo extremo redibit, id  
 quod solius humanæ naturæ propriū est. Nec est quòd  
 quisquam illud in Christo creatore miretur, cū crea-  
 turis eam facultatem concesserit & dederit. Annon e-  
 nim radij solares per totum terrarū orbem diffundun-  
 tur, corpus verò solis in superficie orbis cœlestis hæret?  
 Annon Christus ipse cū in terris adhuc versaretur,  
 aiebat tamen se in cœlis esse? Hoc si de vtraque natura  
 sua tam diuina, quàm humana intellexit & dixit, inane  
 certè

certè fuisset spectaculum ipsius in caelos ascensio, frustra eò ascendisset corpore, ubi antè esset. Annon discipulis suis aiebat: Pauperes semper vobiscum habebitis, me verò non semper? Intelligis, opinor, Suita, quid velim, nisi planè stupidus & truncus es, & sacrarum literarum ignarus. Deinde, quis, quaeso, fructus, quis finis esset corporalis illius manducationis? An non regnum Christi spirituale est? An non hominum Christianorū tanquam membrorum cum Christo capite cōiunctio spiritualis est? Perpende, quaeso, verba illa, quæ Christus aliquando ad Capernaitas & discipulos suos, qui ferè in tuam sententiam inclinare videbantur, fecit: Caro non prodest quicquam: Spiritus est qui vivificat. Licet enim id temporis à Christo Sacramentum cœnæ nondum fuerit institutum, res tamen ipsa Sacramenti tangitur & declaratur. Quomodo igitur, inquires, corpus Christi manducamus, quomodo sanguinem Christi bibimus, si panis non in corpus Domini convertitur? Si, inquam, non tantum credimus, Christum pro peccatis mundi passum & mortuum esse, verum etiam pro nobis ipsis mortuum & passum esse credimus, & sic omnia eius beneficia in nos ipsos vel indignissimos cōferimus, ac ita peccatorum veniam & vitam æternam impetramus, & per Spiritum sanctum, qui in Christo & nobis simul habitat, sacrosancto eius corpori magis ac magis unimur, vt quamuis caro seu corpus Christi in caelo sit, nos verò in terra simus, nihilo minus tamen simus caro de carne eius, & os de ossibus eius. Huius nostræ cum Christo coniunctionis spiritualis signum seu Sacramentū est corporalis illa panis manducatio, & corporalis vini potus. Quoniam enim summa men-

ris & fidei humanæ imbecillitas est, propterea Christus  
 Sacramētum illud panis & vini instituit, vt se ad captū  
 discipulorū Christianorum accōmodaret, & doceret,  
 illos tam certò & verè spiritu & fide sibi tanquam capi  
 ti in coelis coniungi & vniri, quàm verè panis & vinum  
 cum ore & corpore nostro in terris coniunguntur: tam  
 verè, inquam, animas nostras passione & effusione san-  
 guinis Christi in æternum ali & conseruari, quàm verè  
 corpus nostrum in terra externis illis elementis alitur  
 atque conseruatur. Sed quo ore negas, impie Suita, &  
 sacrilege, laico (vt appellas) non esse calicē aut sangui-  
 nem Domini offerendum? eo inquam, quo Mariam a-  
 liosq; sanctos adorandos esse vociferaris, quo Deum la-  
 pidibus & lignis venerandū esse præcipis, quo perexe-  
 crandæ tuæ Missæ celebrationem homines æternam sa-  
 lutem consequi fingis, quo septem Sacramenta nume-  
 ras & constituis, quo panem & vinum in corpus & san-  
 guinem Christi conuertit, & adorandū esse dicis. Quo-  
 ties igitur, Suita, sic conuiuaris, toties Saluatorem no-  
 strum Iesum Christum è rerum natura tollere conaris,  
 toties sacrilegium committis, toties Spiritum sanctū,  
 Prophetas, Euangelistas & Christum ipsum mendacij  
 coarguis. Obiter tantum percurri, Suita, præcipua tuæ  
 institutionis, id est, doctrinæ impiæ & teterrimorū er-  
 rorum capita, & eò me demisi, vt præcepta tua, quan-  
 quam indignissima, cum vera & Christiana nostra reli-  
 gione conferrem, & te principia veræ pietatis ignoran-  
 tem docerem, imò negantem cōuincerem. Mitto iam  
 vanam tuam de peccato in Spiritum sanctum doctri-  
 nam, quæ illud agrè in hac vita remitti tradis, cum ta-  
 men nunquam illud remitti, imò ne deprecandū  
 quidem

quidem pro illo esse; sacrae literae passim doceant. Cau- Ioann. 1. E-  
 sam si requiras, eam in te tanquam in exemplo declara- pist. cap. 5.  
 bo, quia illustrius mihi iam in promptu non est. Nam  
 quia Spiritus sancti virtute & splendore ita illustratus  
 videris, ut Dei veritatem ignorare, ne si velis quidem pos-  
 sis, & tamen summa pertinacia & malitia sciens ac pru-  
 dens, & contra conscientiam tuam Deo ipsi bellum in-  
 dicis, sic in Spiritum sanctum committere diceris: quia  
 Spiritus sancti munus est, in aeternam veritatem nos de-  
 ducere: quanquam & in Deum patrem, & Deum filium  
 ea ratione peccas. Iam cum vera resipiscentia à Dei Spi-  
 ritu proficiscatur, Spiritum autem Dei in vno Christo  
 per fidem apprehenso gratis nanciscamur, tu nunquam  
 poteris resipiscere, dum te Spiritui sancto opponis, &  
 proinde nunquam tanti peccati veniam impetrare. Nam si  
 resipisceres, certè veniam consequeris, cum Deus eum  
 qui seriò resipiscit, non magis possit quam Spiritum suum  
 repudiare. Non ergo causa est, cur Deus à te crudelita-  
 tis accusetur, quòd peccatum hoc non remittat: Sed im-  
 pij & profani sunt non solum illi, qui à Deo deprecantur,  
 ut tam execrandum scelus inultum & impunitum  
 dimittat, verum etiam qui hominibus impunitatem  
 quandam tanti sceleris persuadent, ut Iesuitae, dum æ-  
 grè illud à Deo remitti affirmant. Mitto vanas illas &  
 infinitas tuorum conciliorum sententias & testimonia,  
 quae ad impietatem tuam stabiliendam & confirman-  
 dam pertrahis & aggregas. Christianae enim religionis  
 veritas, Suiata, tantam semper potentiam habuit, ut nul-  
 lis machinis, nec cuiusquam hominis ingenio, nec arte  
 subverti potuerit: contra tuum igitur, mihi crede, inge-  
 nium, quod nullum est; calliditatem, solertiam, contraque

fictas societatis tuæ nefaria insidias, facile per se ipsa defendet. Quamobrè quid est tu profane & impie gentium Doctor, Suita, quod iam amplius expectes, si neq; nomine tuo ementito, neque veste illa simplici atque ouili pectus tuum lupinum & cor diabolicum, & errores tuos nefarios tegere & obscurare potes; sed clarissimo atque purissimo verbi diuini sole patefuit omnia? Muta illud nomen, muta vestem, muta mentem, secede Suita improbe, secerne te à Christianis, desine æternæ Christianorum puerorum saluti insidiari: desine in Christianorum ciuitatibus scholas ad perdendos adolescentulos aperire: Teneris vndique: Lucet sunt clara nobis tuæ institutionis consilia omnia: obliuiscere errorum atque impietatis: manus tuas sacrilegas à Dei sacris abstine, Papæ Romani vanas tuorumq; conciliorum authoritates abijce, & diuinis illis & solis Dei oraculis crede.

*Nemo adeo fertus est, qui non mitescere possit.*  
 Polæmo Atheniensis iuuenis, ætate & moribus adolescentiani consumebat, & in omni deliciarum & voluptatum genere se volutabat: & in lustris, Popinis, conuiuijs, locis omnibus ita se gestu, incessu, sermone gerebat, vt non solum petulans, sed perditus & desperatus omnino videretur: verum cum ebrius & fertis redimitus, cum socijs & ministris libidinum suarum scholam Xenocratis philosophi ingressus esset, audita eius oratione de temperantia laudibus, si repente affectus & mutatus est, vt mox mentem à turpitudine ad honestatem, à vitijs ad virtutem, à prauis conatibus ad sanitatem reuocaret. Sic exemplo Polæmonis, Suita, colligere, placa Deum tuum, & sobrius sanaq; mète præditus,  
 scholas

scholas non Xenocratis philosophi, sed ipsius Dei cum  
 tua societate ingredi, audi Moysen, audi Prophetas  
 & Apostolos, animumq; tuum ab impietate ad piete-  
 tem reuoca. Sin verò neque Dei auctoritatem verebe-  
 re, neq; veritatē verbi diuini sequere, & tuam istam im-  
 pietatem, audaciam, & pertinaciam sepulchro inferre  
 in animum induxisti. Tum tu IEHOVA in cœlis, quē  
 Patrem & creatorē nostrum verè nominamus, qui sce-  
 lerum & impietatis vindex es acerrimus, Suitas & eorū  
 socios, à tuis aris & templis, à tectis & mœnibus Chri-  
 stianarum ciuitatum, à vita fortunisq; piorum omnium  
 arcebis: perniciosam istam sentinā exhauries: pestem  
 illam Ecclesiæ delebis & exingues: nefarios tuorū ini-  
 micorum aduersus Christum tuū conatus cōprimes:  
 Tu, inquam illos Ecclesiæ tuæ latrones Suitas, impiæ re-  
 ligionis fœdere inter se ac nefaria societate cōiunctos,  
 impietate furentes, scelus anhelantes, pestem & exitiū  
 Christianorum liberis obscure molientes, cum princi-  
 pibus tenebrarū in ignes illos & cruciatus æternos de-  
 turbabis, illosq; omnes summis & perpetuis supplicijs  
 viuos mortuosq; mactabis. Haftenus Suitas ex illorū  
 Christiana institutione, impudentissimos calumniato-  
 res, tergiuersatores apertissimos, sophistas malitiosissi-  
 mos, hostes diuinæ maiestatis & religionis execrandos  
 percepimus: nunc ad Christianos homines, qui minis  
 istas Furiarum insidijs animaduertunt, & suos liberos  
 illis informandos tradunt, perorabimus. Menedemus  
 Eretriensis, Christiani, (vt Plutarchus testatur) dicere  
 cōsueuerat, valdè absurdum esse, si qui Itudiorū gratia  
 Athenas nauigarent, vt cum antè fuissent sapientes, ibi  
 euaderēt primum philosophi, id est, sapientiæ amato-



res: & cum antè fuissent Rhetores, temporis progressu fierent idiotæ. Annon igitur Christianæ professionis hominibus indignissimum fuerit, & cum sempiterna illorum pernicie atque ignominia coniunctum, qui postquam filiorum suorum nomina Christo dederunt, non dubitant illos in Suitarum ludos, qui desperatorum hominum flagitiosi greges sunt, id est, in Satanæ fauces deturbare? Quare, Christiani, ad vestram & liberorum vestrorum salutem incumbite, circumspicite omnes insidias vobis liberisq; vestris à Satana collocatas. Semper vigilate & prouidete, quemadmodum in tantis & tam absconditis Suitarum insidijs, vos liberiq; vestri salui esse possitis. Verum Deum Suita: nunquam nouerunt, nedum coluerunt, & sic sine fide sunt, sine pietate sunt, sine vera religione sunt, velut noctuæ ad Solem verbi diuini caligant: verum iter ad vitam beatam ignorant, adolentes decipiunt, fallunt, in errorum labyrinthos inducunt, & tandem in Gehennam præcipitant. O demerentiam igitur, imò impietatem istorum hominum execrandam, qui tam immanibus bestijs suos liberos informandos committunt. Quòd si veri Christiani essent, tantam bestiam oculis fugerent, auribus illorum doctrinam respuerent, animo aspernarentur, recordatione denique tantæ impietatis perhorrescerent. Nullæ istæ excusationes sunt: pueri ob ætatem & iudicij infirmitatem nihil de Suitarum religione iudicare possunt: egregij & acuti philosophi sunt Suita:, & quicquid eruditionis habent, in adolentes erudiendos conferunt. Esto, pueros ob ætatem nihil de religione Suitarum iudicare posse: interim tamen, id quod meis oculis vidi, Suiticæ impietati operam dare, Missam sua frequentia celebra-

celebrare, & cum suis istis in impietatis stabulo contra Dei maiestatem grunnire coguntur: Sic

*Quo semel est imbuta recens seruat odorem*

*Testa diu.---*

Et quemadmodū Cacodemon, peritissimus ille & grauissimus impietatis magister, discipulorum & sectatorum suorum rationem habet, & delicatis voluptatem proponit, ambitiosis gloriam, sapientibus huius mundi sapientiam vanam, avaris opes atque facultates: ita Suitæ, subtilissimi & callidissimi Doctores, ad cuiusq; discipuli ingenium, naturam & mores sese accommodant, variosq; doli ac fraudi modos machinantur, quibus teneram iuuentutem ad societatem suam impiam pertrahant. Deinde præstantissima philosophia & sapientia summa est, Deum contemplari, cognoscere, & ad diuinæ maiestatis gloriam & honorem omnes humanas actiones & cogitationes tanquam ad scopū dirigere. Annon igitur illa inanis & vanissima philosophia, vel potius Sophistica est, quæ non ad veritatis inquisitionem, sed ad teterrimorum errorum & blasphemiarum, atrocissimè in Deum impietatis defensionem comparata est? At, inquit, Aristotelem Suitæ summa diligentia & perspicuitate discipulis suis interpretantur, cuius sanè grauis est & minimè contemnenda in Scholis philosophorum autoritas. Pleriq; (dicendum enim est quod sentio) tantum Ethnici Aristotelis autoritati tribuunt, vt minimè erubescant cum Suitis diuinæ autoritati eam comparare, ne dicam præferre. Quæ impietas eò magis execranda & abominanda est, quòd etiam à Christianæ professionis hominibus non solum auditur, verum etiam mordicus accurateq;

defenditur. At contra hanc tantam impietatem nō sa-  
 crarum literarum veritatē, quæ notissima hominibus  
 Christianis esse debet: sed duo illa sanctissimorum pa-  
 trum lumina opponam, diuum, inquam, Augustinum  
 & Hieronymum. Dixit hoc Aristoteles, inquit Augusti-  
 nus: Adiunge illum petrae, & absorptus est. Aristotelis  
 euolue versutias (inquit Hieronymus) & probabis ve-  
 rum esse quod dicitur: Labor stultorum affligit eos.

In Aristotelis equidem monumentis multa præce-  
 pta utilissima, de Rhetorica, de Dialectica, de Physica,  
 de Ethica, alijsq; omnibus totius philosophiæ parti-  
 bus contineri, inficias ire nō possum: sed contra etiam  
 demonstrare possum, si necessitas requirat, abundare  
 libros Aristoteleos multis præceptis aridis, quorū nul-  
 lus est vsus, & multis sophismatis, in quibus discendis  
 tempus potius teritur, quàm utiliter collocatur. Stu-  
 dit enim Aristoteles non rationum momentis præce-  
 ptoris sui Platonis, aliorumq; suæ ætatis philosopho-  
 rum, doctrinā ponderare: sed nugis expugnare, suosq;  
 libros maximam partem non vera ac solida philoso-  
 phia, sed vanis sophismatis & errorum refutationibus  
 cumulare. Eam igitur industriam atq; prudentiam in  
 seligendis & tradendis Aristotelis præceptis adhibe-  
 rent, quam apes in colligendis floribus, & Vergilium in  
 auro Enniani stercoreis inquirendo adhibuisse aiunt.  
 Sed tanti hodie Suitæ Aristotelis autoritatem faciūt,  
 ut ipsis religio sit, vel latum quidem vnguem ab ea de-  
 flectere, imò artis esse videatur, Aristotelis sentētias ad  
 sacrarum literarum veritatem disputationibus, seu po-  
 tius cauillationibus expugnandam, tanquam arietes  
 conuertere. Quid, quod Aristoteles nullius ferè artis  
 vsum

usum ac fructum demonstravit, imò vt suæ philoso-  
 phiæ admirationem moueret, & solus sapere videretur,  
 artes suas non probatorum autorum exemplis illu-  
 stravit, sed quibuscunque modis potuit, obscuravit, &  
 literis ad Alexandrum Magnum datis, se scripta sua edi-  
 disse & non edidisse, id est, pleraque obscure docuisse,  
 publicè prædicare nõ erubuit: Suitæ igitur in præceptis  
 Aristotelis consenscunt, artium verò usum & fructum  
 negligunt, & discipulis suis Heliogabali cœnam insti-  
 tuunt. Heliogabalus enim imperator, Parasitis suis cœ-  
 nam exhibere solebat, sæpe ceream, sæpe ligneam, sæpe  
 eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam marmo-  
 ream & lapideam etiam, ita vt illa omnia ficta pictaq;  
 apponerentur, quæ ipse vera cœnabat, & tanquam sa-  
 turi manus tandem lauabant. Sic, Suitæ, Heliogabali  
 sunt, eorumq; discipuli parasitæ, qui opiparo philoso-  
 phiæ cœnæ non olfactu, non gustatu, sed visu tanquã  
 satiati, manus videlicet lauant, & inde vbi surrexerint,  
 se præclare cœnatos esse prædicant, & sese philosophos  
 appellant. Quasi verò philosophi sint, qui de præceptis  
 tantum garrere & blaterare didicerunt, verum autem  
 usum philosophiæ nunquam perspexerunt. De Chri-  
 stianorum itaque Scholis vera cum gloria mihi prædi-  
 care licet: ita eas ædificatas & instructas esse, vt Suitarum  
 stabulis longè antecederenda sint. Hic enim verus Deus  
 ignoratur, illic agnoscitur: hic ignominia afficitur, illic  
 celebratur: hic vana sophismata & impietatem adole-  
 scentes edocentur, illic nõ solum in vera ac solida phi-  
 losophia, verum etiam Christiana pietate informantur:  
 hic ad æternam perniciem trahuntur, illic in æternæ se-  
 licitatis ac beatæ vitæ viam deducuntur. Quamobrem

1037376

per sanctissimum Dei viuentis numen, Christiani patres, quæso, liberos vestros Suitarum stabulis, si quos illis commisistis, eximite, & ad Christianorum Scholas adducite, conscientiam vestram liberate, & sic mecum quotidie perorate & concludite. O Iesu in coelis optime & maxime, tu mediator inter Deum & homines humanissime, tu frater noster amatissime, pueros aliquando tibi adduci mandasti, eosq; sanctissimo tuo amplexu atq; æterno favore dignos iudicasti; tu igitur, obsecro atq; obtestor, prolem meam, quæ Dei Optimi Maximi benedictio est, suscipe, tu illam amplexu tuo dignare & sanctifica: Christianis præceptoribus atq; doctoribus eam committe, à quibus verissimam illam atque æternam philosophiam, id est, Euangelij doctrinam hauriant: discute omnem in ea mentis caliginem, & æternæ tuæ veritatis splendore eam illustra: tu ingenium illius sanctissimo tuo numine excita & præpara, vt sacrarum literarum veritatem, & æternam Dei patris voluntatem agnoscat, & ad eius nutum omnem suam vitam instituat, vt veram ac solidam variarum linguarum artiumq; liberalium scientiam percipiat, qua æterni ac summi Dei laudes celebrentur, qua Ecclesiæ comoda amplificentur, qua Respublicæ conseruentur, patria, parentes, amici, ac omnes Christiani subleuentur.

Amen.

**F I N I S.**